









4c

DISPUTATIO III.  
Centuriæ Quartæ.

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-

CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academia

Proposita:

PRÆSIDE

M. IACOBI MARTINI  
LOGICES PROFESS.  
Publ.


RESPONDENTE

VVILHELMO MEIERO  
Frisio Nordano.

*Ad 12. Februar. horis à 6. matutinis in auditorio col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1608.







VIRIS

*Reverendis, Clarissimis & Doctissimis*  
Dn. BERNHARDO ELSENIO,  
Dn. THEODORO SCHVNEMANNO,  
Dn. HERMANNO KONRINGIO,  
*Ecclesiæ Nordensis  $\pi$ ροσάτας, ac concionatoribus*  
*fidelissimis,*

NEC NON

*Prudentissimis, virtute & generis splendore præstantissimis,*  
*rerumque ususpectatissimis*


Dn. IOACHIMO IHERING Reipubl.  
Nordensis olim officiali dignissimo,  
Dn. HENRICO de VELAR  
Dn. THEODORO NITERS,

*Dominiis, amicis ac Patronis suis omni observantiæ cultu con-*  
*lendis in indubitatam gratitudinis minimè fucatæ tesseram*  
*has quales, quales etiam sint, studiorum Academicorum*  
*primitias*

*Dedicat, offert, consecrat ac*  
*donat*

*WILHELMVS MEIERVS*  
*Autor & Resp.*





QVÆSTIO I.

An medium in tertia figura semper sub-  
jiciatur?



ολυλογία † inquit Apollonius apud St. beum,  
de garr. serm. 30. πῶλλα σφάλματα ἔχει: imo er-  
rorum saepe plurimorum fons & scaturigo est uberi-  
rime. Placet itaque breviter & siue ullis verbo-  
rum anfractibus, quid de proposita hac quaestione  
sentiendum sit, expeditum dare.

Vi † autem id fiat commodius, initio dicimus medium nihil aliud  
esse quam id, quod ad probandam, vel improbandam quaestionem ali-  
quam assumitur, & extrema vel copulat vel disspicit, vel ut Aristote-  
les I. prior. cap. 4. ait. Καλῶ δὲ μέσον μὲν, ὃ καὶ αὐτὸ, ἐν ἄλλῳ, καὶ  
ἄλλο ἐν τούτῳ ἔστιν ὃ καὶ τῆ δέσθ γίνεται μέσον.

Idque † in Zab. lib. de 4. figura Galenica duplex consti-  
tuimus, ita ut medium aliud sit situ & positione medium inter extre-  
ma: quo pacto animal medium est inter substantiam, & hominem: al-  
terum ratione virtutis inferendi conclusionem. Priori modo sumptum  
primæ figura, quæ sub dicto de omni & nullo directe continetur, soli com-  
petit: posteriori verò uti & hoc loco usurpatur, omnibus syllogismorum  
figuris commune est.

Habent † enim major & minor sese ut partes dissidentis, me-  
dius verò se habet instar mediatoris, majorem & minorem vel conjun-  
gentis, vel disjunctis. Quemadmodum autem nihil refert, si ve pri-  
mo, si ve medio, si ve ultimo loco mediator sit collocatus, dummodo vi, ac  
potestate conciliandi fuerit præditus: ita etiam in syllogismo non tan-  
tum mediū dicitur, quod medio loco positū est, sed ille terminus qui ma-  
jorem cum minore vel conjungere, vel ab eodem disjungere potis est.

His † ita præmissis affirmativam quaestionis propositæ partem se-  
quentibus veritatis fundamentis superstructam ambabus, uti dicitur,  
ulnis amplectimur. Primo enim ipsa hujus syllogismi structura postulat,

A 2

ut in



ut in ea à specie & angustiori ad genus tanquam latius procedamus, & ita conclusionem particularem, cum posita specie genus in parte solum ponatur, efficiamus. Hoc autem fieri nequaquam potest: nisi medius terminus ita collocetur, ut major & minor de eo prædicentur, vel quod idem est, nisi medium semper subjiciatur.

6. 2. Idem † innuit regula siue principium illud, quod dicto de omni & nullo in hac figurâ ferè æquipollet; nimirum: *Quæ sunt eadem uni tertio, inter se sunt eadem, ut sunt in illo tertio.* Et denique nobis hac in re suffragatur omnium logicorum calculus, qui dubio procul ab ipso Aristotele 1. prior. cap. 6. sic edocti tertiam figuram unanimi consensu, ita ut medium in eâ semper subjiciatur, definiunt.

## QVÆSTIO II.

### An interrogatio sit figura Rhetorica?

1. *Vtrum † interrogatio siue interrogatio figuris Rhetoricis annumeranda sit, nec ne; non una est omnium sententia. Quidam enim eam è numero schematum Rhetoricorum planè eliminant: ita arguentes: Figura non nisi ab arte est. Interrogatio sæpe sine arte fit, teste Scalig. lib. 4. de re poet. cap. 42. Ergo. &c.*
2. *Verum † ut etiam circa hanc questionem quod res est dicamus, ad minorem respondemus: interrogationem dupliciter considerari. Primo quidem per se & in sua natura quatenus sciscitandi saltem causa siue ullo adhibito affectu quippiam interrogamus: deinde vero consideratur quatenus instandi gratia assumitur, & singularibus quibusdam affectibus utpote admiratione, addubitatione, desperatione & similibus exercetur. Quale est illud Virgilii Æneid. 2.*

————— *Quid non mortalia pectora cogis  
Auri sacra fames.*

*Item illud Ciceronis pro Ligario: Et certe contra ipsum Casarem est ingressus armatus. Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? Quis sensus erat armorum tuorum? Quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas?*

3. *Quod † ad priorem considerationem attinet, interrogationem figuram Rhetoricam non esse libenter concedimus; sin vero de posteriori*  
acceptio



acceptatione disquiratur, nequaquam. Quis enim est, qui non videt  
verba modo allegata longè aliter quam communia loquendi usus, &  
consuetudo postulat, efferri. Quod autem ita efferatur, cur inter figura  
ras Rhetoricas numerari non debeat, non video: praesertim cum fi-  
gura definiatur: conformatio quaedam orationis, à communi, & pri-  
mùm se efferente ratione remota. Qua de re videatur Quintil. lib.  
9, cap. 1. & 2.

### QVÆSTIO III.

#### Vtrum angeli sint animalia?

Quaestioni † huic ἀπορομῆν præbuisse videtur ipse Plato, dum in 1.  
Timæo Deum quatuor animalium genera: Deos videlicet juniores seu  
animos cælestium, volucres seu aereas animantes, aquatiles, ac terre-  
stres produxisse disertè affirmat. Hinc factum, ut non solū Chalcidius  
in eundem Platonis Timæum scribens, angelum, quem ipse demonis, mo-  
re tunc usitato, nomine indigitat, animal rationis particeps immortale,  
affectionibus animi obnoxium, corpore æthereum, & curam hominibus  
impertiens, definiaverit; sed & ex patribus Athanasius de Ecclesia Chri-  
sti optimè alias meritis lib. de com. essentia patris, filii & Spiritus  
sancti, talem angelicæ substantiæ definitionem divulgare non dubita-  
verit: Angelus est animal rationale, expers materiæ hujus dicendis  
aptum.

Sed † si rem paulo acuratius perpendamus harum definitionum 2.  
utramque à veritate quàm longissimè remotam esse in aprico erit. 1.  
Quia animal omnium applausu definitur id, quod corpus sensu, & vita  
præditum habet. Iam verò angeli non corporeæ, sed spirituales, uti  
quaestione proximè subsequenti fustius demonstrabitur, sunt essentiæ,  
corpore autem denegato, nec vita, nec sensus eis propriè attribui possunt.  
Sensus enim definitur facultas res singulas accomodato corporis organo  
percipiens lib. 1. de an. text. 16. Vita verò ἐντελέχεια animæ ejusq;  
organi corporis per conjunctionem & unionem utriusque Scalig. exerc.  
102. sect. 1. Quia autem hæc omnia de angelis sine insigni absur-  
ditate dici non possunt, eos animalia non esse contra Pla-  
tonicos interpretes concludimus.



## QVÆSTIO IV.

### An Angeli sint corporei?

1. *Affirmativam † questionis hujus partem præter Platonicos itidem ex Patribus nonnulli, in quorum numero Tertullianum, Bernhardum, Augustinum & Basilium fuisse referunt, sequentibus hisce rationibus freti tenere videntur. 1. Primum ex Augustino lib: de spiritu & anima capit. 18. depromptum tale est. Quodcumque in certo loco est, illud corporeum est. Angeli sunt in certo loco, quia non sunt ubique. Hoc enim solius Dei. Ergo sunt corporei.*

2. *Quodcumq; localiter movetur illud est corporeum: Angeli localiter moventur, uti Matth. 4. ver. 11. Luc. 1. v. 16. item 29. & passim alibi in sacris videre est. Ergo angeli sunt corporei. 3. Quod ut corporeum apparet, & tamen, prestigis non ludit, nec homines fallit, id verè corporeum est. Sed angeli corporei apparent, neque tamen prestigis ludunt, aut homines fallunt. Ergo sunt corporei.*

2. *Verum † harum rationum nulla tanta est evidentia, ut cœlestes illos, ac Dei formes animos ( quemadmodum Dion. cap. 2. de cœlesti Hier. loquitur ) multi pedes esse, & multorum vultuum, & animalibus rebusq; corporeis similes, propterea existimemus. Quin imo cum Apostolo ad Ephes. 6. v. 12. Angelos nec carnem, nec sanguinem habere, sed cœlestes & spirituales substantias esse asserimus. Corpus enim secundum philosophum: libr. 3. phys. æg. cap. 5. definitur quod omni ex parte habet dimensionem, σῶμα, inquit, ἐστὶ τὸ ὡς ἂν ἔχον διάστασιν. Cui etiam subscribit Zab. dum lib. de mat prima ca. 17. Corpus substantiam dicit trinæ dimensioni subjectam. Quod sanè de angelis, quos scriptura sacra toties τῶν πνευμάτων nomine indigitat, sine absurditate dici non potest. Nam illi propriè loquendo quanti non sunt, cum sint immateriales: unde & acutissimus ille Scal. exerc. 359. sect. 4. eorum plures in uno & eodem loco, esse posse, comprobat; quod de corporibus verum non esse vel ipsa experientia satis superque demonstrat. Adde, quod nullum corpus cum altero in eodem loco esse possit, siquidem omnis natura ab hac dimensionum penetratione abhorret. Angelos autem cum corporibus in eodem loco esse posse, vel ind. patet, quod in sacris Luc. 18 legatur integram malorum spirituum legionem, sive sex demonum millia in unius obsessi corpore habitasse.*

*Missis*



Missu † igitur hisce Platoniorum nugis cum Damasceno lib. 2. de 3.  
orth. fide, angelos dicimus substantias intellectuales semper mobiles, ar-  
bitrio liberas, incorporeas, Dei ministras, quæ per gratiam, non natura  
immortalitatem sunt consecutæ, quarumq; substantiæ speciem solus, qui  
creator est, no. vid. Ad argumentorum autem pro priori sententia allato-  
rum primum quod attinet; angelos in loco esse, non simpliciter imus in-  
ficias. Est enim ut Scal. ait, ubi eas affectus entis cuiusq; præter solum  
Deum necessarius. Dicimus igitur eos in suo ubi esse, non οὐρανῶν,  
ut corpora, quorum extrema complent vacuum corporis continentis, sed  
νοητῶν sine ulla spaci localis vel occupatione, vel repletione. Videatur  
Scal. ex. 359. l. 5.

In † secundo libenter concedimus angelos moveri etiam suo modo 4.  
localiter; verum non mutando locū, uti res corporeæ in quibus pars mo-  
uens, & pars mota distinguuntur, sed uti spiritus, siue essentiæ simplices  
mutando ubi, uti idem Scalig. ex. rc. jam di. la. sect. 12. scitè affirmat. Et  
quemadmodū non propterea non movetur Deus, quia infinitus est, Inf-  
nitum n. moveri non potest. Quia neq; in loco, neq; in ullo ubi est: ita &  
spiritus de loco in locum movetur, non quasi corporeus esset, sed quia fini-  
tus ac dimensus est.

In † 3. argumento est insignis sophisticatio πρὸς τὸ μὴ ἰσόμενον. 5.  
Non n. sequitur angeli in eisdem, cum mania sua hisce in terris sibi de-  
mandata obeunt, apparent corporei. Ergo veris naturalibus præditi  
sunt corporibus, Nam possunt illa corpora, quibus apparent, vel  
aliunde ad tempus assumere, & assumunt etiam eadem consentientib. non  
solum Philosophis, sed & Theologis sanioribus omnibus, licet vnde  
illa assumant, vel ubi eadem deponant, scriptura silente, plane ignore-  
mus. Si enim angeli corporei essent, indigerent certo nutrimento, quod  
in ipsorum substantiam converteretur, quod de angelis falsissimum esse  
historia de Tobia, ad quem Raphael ait: videbar quidem vobis mandu-  
care, ac bibere, sed potu invisibili & cibo utor. c. 12. v. 19. satis confirmat.

## QVÆSTIO V.

An Deus naturæ necessitate mundum creavit?

Multa † sanè, eaq; satè spinosa, ac intricata de mundo à Philosophis  
moverunt, & in utramq; partē variè ventilantur quæstiones; inter quas  
non infimum locum sibi vindicat illa, quæ queri solet: utrum ex natu-  
ræ necessitate, an verò ex libera voluntate Deus mundū creavit?

Pro



2. Pro cuius  $\dagger$  quaestione diligenter primò animad-  
vertendum est ex natura necessitate agere, nihil aliud esse quam ita a-  
gere, ut non possis non agere. Quod uti D. D. Conimb. 8. phys.  
cap. 2. quaest. 5. testantur, bifariam contingit. 1. Quando agens so-  
lo natura impetu citra omnem intellectum, & voluntatis actum in rem  
fertur, ut quando ignis calefacit, vel stipulas sibi admotas comburit.  
2. Quando agens licet per intellectum & voluntatem agat: tamen ita  
agit, ut actionem illam suspendere, aut inhibere neuiquam valeat:  
quo pacto pater per actum intelligendi à scholasticis, & quibusdam pa-  
tribus filium generare dicitur.

3. Quibus  $\dagger$  ita constitutis existimamus neminem unquam philoso-  
phorum adeò hallucinatum fuisse, ut Deum extra se priore modo quicò  
quã ex absolutà natura necessitate in rebus creatis agere putarit. Cum  
omnes diuino numini intellectum & voluntatem unanimiter attri-  
buerint. De posteriori autem non omnibus inter se convenit. Alii enim  
Deum necessario: alii vero liberè mundum condidisse contendunt. Qui  
priori sententiæ patrocinantur hisce potissimum militare videntur ar-  
gumentis: Quicquid Deus agit ex necessitate agit. Quia si non ne-  
cessario ageret, contingenter ageret. Contingentia autem mutabili-  
tatem & inconstantiam, quam de Deo vel cogitare summè impium &  
blasphemum est, importet. Est enim Deus actus purissimus omnis po-  
tentia expers, & sic etiam omnis mutabilitatis, que non nisi ex poten-  
tia oritur, 2. phys. 8. cap. 8. 2. Actio interior, quã Deus perficere  
quippiam vult, est perfectio diuina, que cum Deo abesse nequit, neces-  
se erit Deum velle alia extra se producere, proindeque ex necessitate  
natura mundum esse creatum

4. At  $\dagger$  nos obiectiunculis hisce, quas inferius ad trutinam verita-  
tis paulò acuratius appendemus, neglectis, iis qui Deum nullà natura  
necessitate; sed liberrimã voluntate mundum creasse statuunt, calcus-  
lum nostrum per omnia adjicimus.

1. Quia Deus nihil extra se ab eterno, sed omnia in tempore agit,  
si itaq; Deus mundum ex absolutà aliquã natura necessitate creasset  
mundus utiq; esset eternus, id quod non solum sacrosancta Theologia no-  
stra, sed sanctiores quoque Philosophi neuiquam concedunt. Videatur  
Scal. exer. 3. Item 61. sect. 2. & 3.

2. Deus est autògenus, & nullius rei externa indigens, sed ex sua  
natura omnem boni, & appetibilis rationem in sua essentia invenit 2.

Mag.



Mag. Mor. cap. 15. & 7. Polit. cap. 1. Unde infallibiliter sequitur ipsum nihil extra se necessario appetere, ac proinde nihil creaturarum ex absolutâ aliquâ natura necessitate producere: Cui etiam illud Psalmistæ consonat: omnia, quæ voluit, fecit in cælo, & in terrâ Ps. 134.

3. Quicquid perfectionis est in rebus creatis, illud omne modo longè excellentiori in Deo contineri extra omnem controversiam est; siquidem nihil perfectionis est in effectu, quod non fuerit in causâ efficiente. At verò liberū arbitrium est una ex maximis naturæ intellectivæ perfectionibus. Erit itaq; maximè in Deo. Si autem Deus quicquā ex naturæ necessitate extra se ageret, sequeretur ipsum non esse agens liberrimum; quod non solum ἀφιλοσοφώτατον est, sed sacrarum literarum fontibus è diametro oppositum. Ipse enim Paulus in tertio cælo edoctus ad Ephes. 1. v. 5. disertè affirmat; Deum in rebus creatis agere κατὰ τὴν εὐδοκίαν τῷ θεῷ δελήματ' & αὐτῷ. Quæ cum ita sint, ut verè sunt; Quis queso tam bardus, aut tam iniquus rerum estimator, qui Deum non soletè, sed liberè mundum creasse non videat?

Restat itaque nunc ut argumenta in contrariam partem allata <sup>5.</sup> breviter discutiamus. In primo autem simpliciter negamus antecedens. Deus enim in rebus creatis non necessario, ut jam demonstratū est; neq; contingenter, sed ratione quadam inter necessitatem & contingentiam inter mediâ; id est, ex libero arbitrio. Qui agendi modus ex necessitate quadam, ut D. D. Conimb. loco jam citato loquuntur, constantiam; ex contingentia verò possibilitatem erga res, quas molitur, aliter se habendi, accepit. Ad secundam v. dicimus actum internum, quo Deus extra se perficere quippiam vult dupliciter considerari, 1. Quoad suam substantiam, ut absolutum in Deo aliquid est, 2. respectivè quoad creaturas. Priori modo consideratus perfectio quidem divina est, quæ Deo abesse nequaquam potest: quoad posteriorem autem considerationem, nec perfectio, nec imperfectio est. Verum, uti Deo ex arbitrii libertate convenit: ita etiam divino altui inesse, vel abesse potest. Errant igitur turpissimè quicumque hac vel ulla etiam aliâ ratione mundum ex necessitate à Deo creatum esse conantur evincere.

## QVÆSTIO VI.

A quonam moveantur gravia & levia quando in propria sua tendunt loca?

B

Ad



1. Ad hanc questionem quod attinet, varia, ac discrepantes plane ea de re philosophorum extant sententiae. Sunt enim, qui arbitrantur gravia, & levia cum in sua propria loca tendunt, non secus, ac ferrum à magnete moveri à suo loco naturali. Verum haec opinio propria sua futilitate facile corrui. Locus enim in praedicamento quantitatis est. Quantitatum autem teste Scaligero exer. 352. lect. 1. per se nulla est efficacia: Unde D. D. Conimb. lib. 9. Phys. cap. 4. quest. 1. loco omnem alliciendi vim, omnemque attractivam qualitatem recte adimunt.
2. Quidam tamen vero motus illius causam in caelum rejiciunt. Sed quia hac ratione quies gravium & levium in suo loco naturali constitutorum violenta sit futura; quippe à principio externo, motu videlicet caeli orta; & vero secundum Philosophum ὁ δὲ ἐν τῷ ἀρχῇ τῆν φύσιν αἰδίου, & hanc opinionem tanquam falsam & erroneam rejicimus.
3. Neque tamen etiam medium per quod transeunt, causa istorum motuum proxima constitui potest. 1. Quia medium non magis ad hunc quam illum motum gravia & levia allicit. 2. Causa proxima, teste Philosopho 2. post. cap. 1. non nisi una est. Medium autem subinde variatur. Quare medium causa motus gravium & levium non erit.
4. Neque tamen verò movetur à principio externo, generante nimirum, aut impedimentum solvente, ut nonnulli freti auctoritate Aristotelis 8. Phys. gravia & levia habere in se principium, non movendi, sed patiendi; Item gravia, & levia non à seipsis; sed ab eo moveri, quod generavit, aut impedimentum solvit, dicentis, statuunt. Loquitur enim ibidem Philosophus, partim de principio essentiali, formam primario; motum verò ex illa forma procedentem, secundario respiciente; partim verò de potentia accidentali, quae gravia, & levia, cum ex sua natura vel ascendere, vel descendere possunt: interventu tamen impedimenti alicujus externi non ascendunt, aut descendunt, quaeque in caelum deducitur à causa impedimentum illud removens. De neutro autem harum potentiarum hoc in loco quaeritur; sed de illa solum, quae gravia & levia extra locum suum constituta, nullo impedimento interjecto illum appetunt, & consequuntur.
1. Eam tamen autem cum Zab. lib. 1. de motu grav. & lev. cap. 4. & 12. dicimus internam eorum formam à qua tanquam ab agente motus ille primario fluit. 1. Quia elementa, item corpora simplicia, quae omnia gravium & levium nomine, teste eodem Zab. lib. citato cap. 1. intelligenda veniunt, sunt corpora naturalia; unde necessario sequitur, ea



tur ea habere in se internum motus sui principium. 2. Quia effectus  
 actu existens, necessario quoque causam actu existentem requirit, qualis  
 præter solam formam alia dari non potest. Aut enim esset generans, aut  
 esset impedimentum solvens. At neutrum esse potest, Non generans.  
 Quia hoc generatione expedita in generatum non amplius agit. Non  
 impedimentum removens. Quia hoc ablato nihil amplius ad motum  
 corporis movendi conferre potest. Relinquitur igitur solam formam  
 gravium & levium motus illorum causam primariam esse. Quod & ipse  
 Philosophus 8. Phys. expresse indicat, dum causam, cur gravia & levia  
 ad suum ferantur locum, dicit esse hanc, quod sint apta nata aliquò mo-  
 veri; & libr. 4. de Cælo asserit, quod gravia & levia in seipsis princi-  
 pium movendi habeant.

## QVÆSTIO VII.

An sint tantum quinque sensus externi?

Et si quidem ipse Scal. Philosophus alias acutissimus exer. 285 sect.  
 3. negantem hujus questionis partem non nihil tueri videtur: tamen  
 illius tanti apud nos non erit opinio, ut propterea ab ipso Aristotele, Præce-  
 ptore nostro meritissimo l. 3 de an. c. 1. quinque tantum sensus exteriores, vi-  
 sum videlicet, auditum, olfactum, gustum & tactum, nec plures, nec  
 pauciores agnoscente, divortium faciamus. Quot enim sunt τὰ  
 αἰσθητὰ ἰδία, seu sensibilia propria, tot etiam sunt sensus exteriores. At  
 τὰ αἰσθητὰ ἰδία tantum sunt quinque, nimirum color, sonus, odor, sapor,  
 & τὸ ἅπτόν. Ergo etiam quinque tantum sunt sensus exteriores.

2. Sensus officium est τὰ αἰσθητὰ ἰδία percipere, At vero omnia sen-  
 sibilia, omnesque eorum species quinque hisce sensibus exterioribus percipiun-  
 tur, adeo ut nihil inveniri possit, quod non ad horum aliquem referri  
 queat: Unde liquidò patet oleum & operam perdere illos, qui præter  
 quinque hosce sensus modo enumeratos sextum confingere conantur. Sea-  
 queretur enim sensum illum frustra in naturâ fuisse conditum. Quia  
 nullum haberet τὸ αἰσθητὸν quod perciperet, sed quod absurdum est.  
 Deus enim & natura nihil faciunt frustra. Videantur hac de re Aristo-  
 tes lib. 3. de an. cap. 1. Et lul. Scalig. exer. 297. sect. 2. 3. & 4.

## QVÆSTIO VIII.

Utrum homo sit animal?

B 2

Negat.



1. Negantem <sup>†</sup> questionis propositae partem defendere videtur non solum Cardanus lib. 2. de subtil. sed etiam adhuc recentiores quidam, nescio cuius ambitionis oestro percussi, dum hominem animal rationale definiendum esse strenue negant, Eò quod animal late, uti à Porphyro cap. 3. Isag. pro quolibet vivente sumitur, acceptum, generis nimis remotum sit, tantumq; jejunam aliquam descriptionem, non solum homini, sed & Deo, & angelis competentem constituat. Sin verò pressius accipiatur, quo sensu à Philosopho lib. 2. de an. ca. 5. his verbis definitur, ζῷον ἐστὶ κατὰ τὸ μῶριον τῆς ψυχῆς τὸ αἰσθητικόν, nimis angustam. Quia homo longe latius, ut illi somniant, patet, quam animal. Rationes proferunt.

1. Quia homo secundum partem sui nobiliorem videlicet animam est immortalis, animal autem totum mortale. 2. Quia homo ratione animæ est ingenerabilis, animal autem generabile. 3. Homo ex parte sui nobiliore est incorporeus, animal autem totum est corporeum. Ex quibus omnibus manifestum evadere putant hominem latius patere quam animal. Latius autem per id quod angustius est, defini non modo potest. 2. Antagonistarum argumentum tale est: Homo definitus longe melius definitur à parte præstantiori, quam ab eâ, quæ minus est præstans. Per animam itaq; rationalem definiatur homo: quo pacto olim Academici, eum animam rationalem corpore utentem dixerunt; non verò per animal.

Verùm <sup>†</sup> hæc argumenta, quamvis nonnullis Achillea, & plane ἀδύνατα videantur, nihil tamen nobis officium. φιλοδοξία enim, & inanis sapientie persuasio efficit, ut homines isti nimium intelligendo vel nihil intelligant. Falsissimum namque est, quicquid etiam de duplici animalis acceptione garriunt. Etenim quid quæso dici posset absurdius, quam Deum Ens illud simplicissimum, simplicesq; illas naturas angelicas per animam vivere, nutrirī & alia animæ opera peragere? Non quid hac ratione constituerentur compositi? Siquidem aliud est ipsa anima; aliud verò quod animæ præditum est? Non quid efficerentur corporei? Cum nutritio rebus corporeis solum competat, incorporeæ autem nutrimento non indigeant. Dicitur quidem Deus vulgo vivere, sed minus propriè. Vita enim, uti acutissimus ille Scaliger habet, est actus animæ in corpore. Tantum igitur καὶ ἀνθρώπου πᾶσθεσιν vita Deo tribuitur, ad exprimendam divinarum actionum efficaciam.

Simili



Simili + porro falsitate & illud, quod hominem animali latiore  
esse contendunt laborat. Nam & ipse Cardanus sui ceu oblitus libr. }  
7. & 8. de varietate rerum capit. 37. & 40. alibi que cum pluries }  
hominem animal appellat, & quod notatu dignum est, in Diale- }  
ctica sua, quam opus supra vires humanas esse jactitat, usitatum homi- }  
nis definitionem integre retinuit. Quod vero ad ratiunculas, quibus }  
argumentum debile hoc suum fulcire conantur, atinet: Respondemus }  
ad primam per inuersionem, id nimirum latius esse, quod de pluribus }  
prædicatur. At vero animal de innumerabilibus propè speciebus, & in- }  
diuiduis; hominem vero de indiuiduis tantum dici, omnibus vel me- }  
diocri saltem rerum cognitione imbutis, tam notum est, quam quod no- }  
tissimum. Deinde si in syllogismi structuram redigatur hæc Antagoni- }  
starum, ratio nihil inde concluditur, quam hominem secundum partem }  
sui nobiliorem, siue animam rationalem, non esse animal, id quod ipsis }  
utraq; manu libenter largimur.

Ad secundam dicimus, illam ex falsa erutam hypothese: nempe  
animam corporibus cælitus immitti. Quod quàm absurdum sit, non so-  
lum SS. Theologia nostra, sed & ipse Philosophus satis luculenter osten-  
dit, dum lib. 2 de anim. cap. 4. ait:  $\phi$  σιμώτερον τῶν ἐν τοῖς ζῴσι ἐγ-  
γῶν, τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἶον αὐτὸ, Et 1. Metaphys. cap. 3. discrete re-  
statur, non solum corpus, sed totum compositum generari: In tertiâ,  
dum hominem per animal definiendum negant. Quia homo ex parte  
sui nobiliori incorporeus est, animal autem totum corporeum, egregiè  
philosophantur. Non enim homo animal est propter animam siue facul-  
tatem rationalem, sed propter sensitivam. Deinde nugatorium & il-  
lud est, quod animal totum corporeum effingunt. Etenim anima ani-  
malis ex materia, & forma non est, Quare nec corporea est, sed simplex:  
Formam enim ullam corpoream esse, in Philosophia adeo explosum est,  
ut operosiori refutatione non indigeat.

Restat † itaque alterum aduersariorum argumentum, ad quod re- 4.  
spondemus: Animal non uniuersam hominis naturam, sed saltem genus  
ejus exprimere, quod neutiquam potest esse anima rationalis. 1. Quia  
secundum Aristotelem lib. 4. top. cap. 3. vitiosum est definire per par-  
tes, 2. Quia genus respondere debet materia. Anima autem rationalis  
obtinere locum formæ.

Finiter † igitur concludimus hominem per animal rationale re- 5.  
ctissime definiti. Negari siquidem non potest hominem vivere, ac sen-



eire. Cui autem differentia specifica aut forma tribuitur, vel adimitur,  
 ei & formatum tribui aut adimi necesse est. Adde quod genus hoc tam  
 cum omnibus Aristotelis lib. 4. top. requisitis, quam cum aliorum lo-  
 gicorum maximis, que boni generis nota sunt ex affe congruat. Predi-  
 catur enim de homine essentialiter in τὸ τῆς οὐσίας non quidem remote, ut  
 substantia, sed proximè: adeo ut nihil de animali dici possit, quod et-  
 iam non dicatur de homine. Est cum ipso in eod. in predicamento Est  
 latius homine, uti ostensum est, eumque complexu suo ambit. Missis  
 igitur curiosorum, novitatisque, que perturbatione non caret, a vido-  
 rum ingeniorum periculis veritatem exosulemur. Nam qui veritatem  
 occultat, & mendacium prodit, uterque reus est, ille quod prodesse  
 non vult, iste quod noscere desiderat. August. lib. de agone Christi.

## QVÆSTIO IX.

### An leges vestiariæ sint ferendæ?

1. Leges †, inquit Isidorus lib. Etym. log. factæ sunt, ut earum metu humana coerceatur audacia. Ea igitur crescente, & se quasi mul-  
 tiplicante, rectè etiam novæ, quibus ipsi obviam iri possit, magistratuum  
 ferendæ, & secundum subditorum mores variandæ erunt leges. Cre-  
 scentibus enim delictis merito etiam exasperantur pœne.
2. Ex † quo apparet institutum nonnullarum Rerump. quo cui libet  
 Civium ordini certa vestimentorum genera eorundemque certa precia  
 prescribuntur, nequaquam esse improbandum. Illud enim extra omnem  
 dubitationis aleam ponimus, Deum ordinis, non confusionis auctorem,  
 ut certas quasdam hominum distinctiones constituere: ita quoque cum  
 certam in vestitu τὰ ἔξω, non verò ἄρα ἔξω probare. Concedit qui-  
 dem omnibus vestem mundam & honestam, modò intra limites conditio-  
 nis nostræ nos contineamus, neque id quod in alios usus ecclesiæ &  
 Reipubl. necessarios convertere debebamus, in corporis cultum impenda-  
 mus. Hoc enim Deo displicet. Cujus rei exemplo nobis potest esse epu-  
 lo ille prædixes Luca 16. qui licet ignobilis, & infimæ sortis homo esset:  
 tamen se purpurâ, quâ olim non nisi reges inducebantur, induebat. Quam  
 luxuriosam audaciam Spiritus Sanctus non frustra notatam ad posteros  
 transmitti voluit; siquidem omnia, que scripta sunt in nostram doctri-  
 nam scripta sunt, Rom. 15. ver. 4.

in



In vestitus excessu, inquit Guilielmus Perck in armill. 3. sur. cap. 2. plurima insunt mala. 1. Donorum Dei profusio, ex qua incommoda oriuntur quam plurima. Sape enim accidit, ut subditi ob impensas in superflua, omnes facultates di-vendere, & summam paupertatem sustinere, aut furari, aut dolose negociari cogantur. 2. Signum ocii & ignavia; dum enim corporis nitore nimium tribuunt, res suas plerumq; negligunt. 3. Argumentum levitatis. Nam sicuti arvis ex pennarum colore: ita etiam ingenia hominum ex vestitus varietate dignoscuntur, Exterior namq; inquit Bernhardus in apolo; superfluitas interioris vanitatu indicium est, & mollia indumenta animi molliciem indicant.

Neque est, quod existiment consuetudinem hanc de legibus vestitariis recens introductam esse. Ostendunt n. veterum annales illa, vel apud Romanos quoque fuisse usitatam: Testatur siquidem Dion. apud Cass. lib. 7. historiarum Rom. legem vestitariam a Tiberio Casare fuisse latam. Et Alexander Sever. omnibus officiis & dignitatibus proprium genus vestitus dari constituit. Quod tamen Ulpiano & Paulo, id plurimarum vixarum causam fore existimantibus displicuit, Lamp. in Alex. Legatur etiam hac de re lex Appia, apud Titum Livium libr. 34. sine decad. 4. cap. 4.

## QVÆSTIO X.

An leges majorum sint mutandæ?

De S. Sophronio Pompeiopoleos Paphlagonia Episcopo testatur Socrates lib. 2. tripart. histor. cap. 34. quod cum audisset in Synodo S. leticianâ Acatii opiniones ac dogmata recenserit, dixerit: Si per singulas dies propriam edere fidem licuerit, veritatis integritas non diu manebit: innuens mutationes presertim in rebus salutem & incolumitatem hominum concernentibus non facile suscipiendas, sed cum summo saepe periculo esse conjunctas. Dicimus t itaq; leges humanas (de divinis enim hic non est disquirendi locus) in duplici esse diff. ren. ra. Quaedam n. ad certum finem sunt determinata, & de iis agunt, quæ humana libertati subiciuntur: quedam vero certam finem non respiciunt, sed in iis rebus sunt occupate, quæ Deus & natura aliter fieri non voluit: ut sunt hæc tria juris principia. Honestè vivere, alteri non ledere, suum cuiq; tribuere & similia. Priores t ubi finem suu attingerint, abrogari possunt; dato siquidem sine datur cessatio. De posterioribus autem aliter judicandū. Illas enim licet quandoq; paulatim vitia aut labia aliquid secū habere videantur: non  
tam est



tamen (quantumvis alias, teste Iustiniano, mala adinventis, malaque consuetudines neque ex longo temporum tractu, neque ex longo usu confirmantur) nec cito nec temere, nec à quovis Magistratu, mutari expedit. Nam nulla lex dicebat Cato Censorius omnibus commoda est. Bodinus 4. de Rep. cap. 4. Et Zeleucus Locrensiū legislator sapientissimus in proem. legum suarum positas leges ab hominibus vinci nō decere, nec conducere, contra autem homines à legibus superari honestum simul & utile esse affirmat. Et hinc est, quod apud Æginetas, veros vel hac in parte prudentissimos cautum fuisse legimus, ut is, qui novæ condendæ legis (quemadmodum Alex. ab Alexand. lib. 6. cap. 6. testis est) causam daret, omnibus execrabilis haberetur.

4. Maxime + verò periculosas esse legum immutationes arbitramur in iis, quæ statum civitatis continent. In his enim nisi sensim pedetentimque procedatur, salus ipsius facile periclitabitur. Nam majores nostri, teste Cicerone, eâ virtute ac sapientiâ fuerunt, ut in legibus condendis nihil nisi salutem atque utilitatem proponerent. Cic. 1. de inventione.

Finis disputationis tertix.
















4c

DISPUTATIO III.  
Centuriæ Quartæ.

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-  
CARVM  
*In Inclytâ VVittebergensi Academia*  
Proposita:  
PRAESIDE  
M. IACOBI MARTINI  
LOGICES PROFESS.  
Publ.

RESPONDENTE  
VVILHELMO MEIERO  
Frisio Nordano.

*Ad 12. Februar. horis à 6. matutinis in auditorio col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE  
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1608.

